



57/636

Dv 2274

398
46

JOHANNIS ANTONII
SÖLDNERI,
Medicinæ Doctoris.

METHODUS
MEDENDI

PER SIMPLICIA,

Ex Veterum (Hippocratis &
Ægyptiorum) monumentis
eruta , & plurium annorum
praxi comprobata .

CUM ANNEXA
MATERIA MEDICA.

Editio secunda, correctior, & auctior.



LUGD. BATAVORUM,
Apud ANDREAM DYCKHUISEN,
e Io I o c c v a

METHODES
METHODES

UNIVERSITÄTSBIBLIOTHEK
— Med.-Naturwiss. Abt. —
DUSSELDORF

V 5363

INTRODUCTIO
IN
METHODUM
MEDENDI
RESTAURATAM.



Ria imprimis sunt
Capita, quæ huc usque latuere Medicos,
& quorum defectu
Respublica Medica
omni suo ornamento
& firmitate exuta fuit.

Primum Caput est *Semiotica*, quæ
& qualis illa esse debeat, nullus Medicorum, annotavit. Est quidem vulgo
nota *Semiotica*, verum ab externis
tantum signis criteria desumens, nul-
lum demonstrativum causæ morbificæ
addens. Quod tamen maximè necessaria-
rium, cum à cognitione causæ morbi
sanatio dependeat.

Secundum Caput est ipse *Sanandi mo-*
** 2 dus,*

PRÆFATIO.

dus, quem ex falso, infirmo, & ab omni veritate alieno principio instituunt. Hippocrates dixit: Ιατρική εστι τῶν ἐλεγμόντων πρόσθισις καὶ τῶν ὑπερβαλλόντων ἀφάνησις. Medicina deficiētum additio & abundantium ablatio. Quantum autem recesserint ab hoc dicto Galenum sequuti Medici, falsa eorum Regula monstrat: *Contraria contrariae curari*. Paracelsistæ haud majori usi sunt fortuna, dixerunt quidem corroborandum esse, sed quid, & quibus mediis ignorant. Et sic ex falso principio vera quomodo potuerit nauci demonstratio, quotidana ægrotum docet calamitas.

Tertium Caput planè obscurissimum & plus, quam Cimmeriis tenebris involutum lucis usquè neglectum jacuit à nemine excutum. *Cognitio materiæ mediceæ*, inquam, planè dubia, fallax, nullis nititur demonstrationis principiis, ideoquè planè incognitæ est. Botanicos si evolvas, viresque herbarum in spicias, vel tribus herbis omnium morborum sanationes absolvi posse putabis, cum tamen rem ipsam aggrediens vel mille herbis non absolv-

ves.

PRÆFATIO.

ves, aperto argumento in Botanicorum
libris mera & putrida mendacia esse conge-
sta ad Medicorum infamiam & ægrorum
perniciem. Non sufficit cum quibusdam
exclamare, à Dioscoridis tempore rei
Botanicæ nihil accedit, cum nesciam
an Dioscorides quicquam veri in Bota-
nicis reliquerit, manus & mens potius
operi admovenda fuisset, ut ex incer-
tis certa erueremus, & nulla oratione
admittenda demonstratio in medicina
ubi de hominis vita agitur, quæ non sit
Mathematica, Hæc sunt tria illa capita,
quæ integrum absolvunt Medicinam
simplicium medicamentorum, & hoc
usquè fuere incognita. Iuvenis, fermè
puer, sub Cl. Wedelio, Tyrocinia cum
posuisse, statim inivi consilium de
his articulis illustrandis, quod Diss. In-
aug. in Belgio habita testabitur, & pa-
gellæ quædam Halæ Saxonum impres-
fæ. Verum cum tandem res absolvenda
sit in publici emolumentum, Ichno-
graphiam fundamenti hic dare consti-
tuï cui magis magisque ornamenta
addi possint, si otium & dies id con-
cesserint. Hic imprimis ago & quidem
solum de modo sanandi per medica-
menta

PRÆFATIO.

menta simplicia. Chymica Methodus planè differt ab hac Methodo & à nemine nec Severino nec Paracelso intellecta est. Et Chymica medicamenta in plurimum manibus sunt gladius in manibus furibundi. Medicamenta, quæ Chymica vocari merentur (sunt enim plura remedia per ignem parata, quæ nihil minus, quam Chymica medicamenta dici possunt) non agunt simplici restitutione fermenti deficientis, sed fermentum abundans transmutari debet in id quod deficit, per Chymica medicamenta. V.g. Ut Acetum modo in Saccharum, modo in Spiritum ardentem vel oleum amarum mutari potest, id quoque remēdia in Humano corpore Chymica agere debent. Major itaque requiritur notitia ad Chymicam Methodum, quam ad simplicium Medicamentorum Methodum. Et cum Chymica Methodus huc usque à nemine intellecta vel explorata vel conscripta sit, opera pretium esse duco imposterum, si 'qua horæ quædam ad id mihi suppetierint, hanc publico explicare scripto. Cæterum si qui sunt, qui his contradicere

Eu-

PRÆFATI O.

student, eos monitos volo vera & solida mihi objiciant, alias illos ludibrio dabo. Vera autem qui objecerit, summus mihi erit Amicus ; Homo enim sum & errorem humanum à me non alienum puto. Hic non omnia esse conscripta ea prolixitate quam res postulat quilibet deprehendet , attentus qui rem inspiciet. Quæ desiderari possunt alia vice dabuntur exactius , quanquam magna & compilata à me non exspectabis volumina ; mea enim fuit natura & consuetudo ut paucis multa comprehendam , & horreo illos , qui veritatis nucleum multis involvunt corticibus. Consilium concepi , imposturum ut omnia Lingua Germanica prodeant , & quidem politissima , unâ cum modo parandi medicamina ; Sic enim spero fore ut Viri honestiores ex illis edocti multorum Pharmacopeorum imposturam & plurimorum Medicorum ignaviam agnoscant. Si vero de certitudine meæ Methodi adhuc orientur dubium , illud communicetur amicè , ut modò dixi , amicam à me habebit responsonem , imo me paratum inveniet , juxta veritatis regulas has ut immu-

PRÆFATIO.

immutem pægellas. Non verò ventis
cedo, sed robora addantur. Scripti hu-
jus Titulum Latius quoque imposte-
rum explicabo, vestigia enim veritatis
in Hippocratis & Ägyptiorum frag-
mentis inveniuntur. Hepatis & Lienis
fermenta hic breviter explicata, impos-
terum prolixius ob oculo, ponenda,
multis erunt in stimulum ad indaga-
tionem; Judicesque agent, an illi qui
contra hæc insurgent, veritati, aut
contradicendi studio sint addicti.

ME.



METHODI MEDENDI RESTAURATÆ.

CAPUT PRIMUM.

Definitio.

MEthodus medendi
est scientia per cau-
cas & adjuncta signa
morbum in corpore humano
A cog-

2 METHODUS cognoscens , & convenienti- bus mediis tollens.

1. Si scire est rem per causas co-
gnoscere imprimis methodus me-
dendi scientiae nomine venit , quæ
solum per causas cognoscit. Quan-
quam Aristotelici negent hoc ; tamen
corum propria id evincit confessio.
Non concedunt scientiam esse rerum
particularium , Regulas verò univer-
sales scientiæ vendunt nomine. Ve-
rum cum universalia Axiomata non
nisi per inductionem colligantur , &
probentur ; eadem est ratio methodi,
quæ cæterarum est scientiarum. Homo
quidem species animalium est sed ad
methodum nostram plus quam homi-
nis cognitione requiritur.

2. Signa quæ alias partem Semio-
ticam constituunt , merito ad metho-
dum revocantur & Semiotica rectius
pars methodi est quam Medicinæ theo-
reticæ.

3. Scientia remediorum etiam ad
methodum pertinet in quantum ni-
mirum illa consistit in cognitione.
Remediorum verò præparatio perti-
net

M E D E N D I . 3

net ad Pharmaceuticam methodi ar-
tem ministram , quæ cuilibet Medico
cognita esse debet.

Ex Definitione methodi
partes tres esse constat nimi-
rum. 1. Cognitio morbo-
rum. 2. Cognitio sanationis
& 3. Notitia remediorum ad
restitutionem fermenti sup-
pressi vel deficientis facien-
tium.

Ordine igitur ut procedamus ,
quamlibet partem in specie discussu-
ri sumus , initium capientes à mor-
bo.

Morbus interne ortus est
defectus fermenti cuiusdam
in corpore humano necessa-
rii & sanguificationi inservi-
entis.

Ex descriptione morbi innotescit ,
quod ad ejus cognitionem requiratur.
(1.) Notitia corporis humani ; Sed
hæc ex Anatomia petenda , relegatur

A 2 ad

4 METHODUS

ad Theoriam. (2.) Notitia fermentorum sanguificationi inservientium.
Hæc ad Physiologiam medicam & sic Theoreticam pertinet, verum cum
huc usqué à tempore Hippocratis,
Ægyptiorum vestigia prementis, in
libro *περὶ παθῶν ταρπίνων*, nihil quic-
quam ferme solidi atque veri à me-
dicis nostris memoriarum sit proditum,
paucis hic sanguificationis culinam per-
curram, uberiorem deductionem ex-
perimentis munitam peculiari scripto
servans.

Fermenti vox, saepius, cum occur-
rat, initio statim explicanda erit. Va-
riè autem sumitur, tam à Chymicis,
quam à Medicis, semper tamen usur-
patur, ut significations haud longè
discrepant, imo, eadem fermè sint.
Sic.

1. Ebullitio fermentationis species
est, cum duo liquores conjunguntur,
& in se mutuo agunt, ut intumes-
cant cum spuma, cessante ebullitio-
ne, neutrius liquoris sapor integer
restat, ut lixivium & spiritus Vi-
trioli.

2. Incalescentia est, cum ex duor-
um

M E D E N D I .

rum conjunctione , ingens oritur calor , ut ol: Vitrioli & Aqua &c.

3. Fermentatio propriè dicta est , cum motu intestino quodam , partes firmius sibi invicem adhærentes separantur , & assimilantur naturæ ejus agentis , quod ei est additum , & partibus subtilioribus seu spirituosis gaudet .

Sic fermentum subigit magnam farinæ massam &c.

De fermentatione verò observanda sunt .

1. Fermentationem nullam fieri posse , nisi mediante humido .

2. Quo major conveniens humiditas quantitas est , eo melior est fermentatio , & partes redundunt subtiliores & spirituosiores , & si minore est humiditas minor est fermentatio & minus subtile evadunt partes .

3. Absque oleolo , nulla contingit fermentatio , quæ partes reddat subtiliores , ideoque in effervescentia & incandescentia , quæ à solis salibus originem trahunt , nulla contingit subtilisatio .

4. Fermentatio citius contingit in calido quam in frigido loco .

A 3 Cæ-

6 - METHODUS

Caterum fermentorum Doctrina non solum per universam naturam, & singula ejus individua deprehenditur, verum etiam adeò certa, ex Mathematicis principiis, demonstrari potest, ut Naturalis & Mathematica veritas, sint ejusdem certitudinis.

Cum vero fermentorum doctrina sit Magistra Semiotices, prius distinguemus inter signa ipsa, quæ sunt vel cognoscentia vel prædicens.

Signa cognoscentia quibus nimis
rum morbos cognoscimus sunt dupli-
cis generis. (1.) Communia pluribus
morbis & hoc modo quasi generalia.
(2.) Cuilibet morbo specifica; qui-
bus morbus à morbo distinguitur &
hæc vocantur Diagnostica.

Signa Prædicens seu Prognostica
huc usque quasi neglecta & Medico
indigna reputata, sunt sane ejus na-
turæ, ut sine his nemo nomen Medi-
ci tueri possit. Scire enim interest
an mutatio morbi eveniens malum
vel bonum præfigiat, sic enim con-
scientia Medici servatur illæsa, quæ
minime illæsa servari potest, quan-
do Symptoma valetudinem præfa-
giens

M E D E N D I . 7

giens à Medico reputatur malum &
huic obviam eundo impeditur Sanatio.
Hæc signa prognostica , uti sola ex Do-
ctrina fermentorum in culina Sanguifi-
cationis occurrentium innotescunt , &
nemo nisi solus Hippocrates in Coacis
& Aphorismis suis nobis quædam re-
liquit , jure Hippocratica appellamus ;
Apodicticas vero horum signorum de-
monstrations ex fermentorum Do-
ctrina desumemus , huc usque omni-
no inauditas , & Prognostica nova
quædam infallibilia , ex fermentorum
Doctrina sequentia , & à nemine ante
hac prolata luci exponemus. Sunt
enim huc usque phænomena juvan-
tia & nocentia neglecta , solam pro-
pter ignorantiam cause. Causa vero
probe cognita multa dabuntur phæ-
nomena praxi utilissima , & sine qui-
bus praxis solida subsistere nequit.
Exempla dabuntur sub regula san-
tationis tertia.

Cum sit sine omni dubio
verum , sanguinem bene con-
stitutum sanum conservare

A 4 cor-

8 METHODUS

corpus, morborum ergo origo, quod pace aliorum dixerim, quos omnes à me diffentire video, hæret in sola culina sanguificationis¹, exceptis illis morbis, qui à vitio formationis, vel à vi externa proveniunt.

Hæc quanquam propositio prolixâ probatione egeat, malo tamen desuatur illa ex sequentibus thesibus Demonstrationem habentibus adjunctam pro modo pagellæ. Ne tamen interim omnibus destituta videatur viribus, monita quædam illustrantia hic addam.

Primum quidem ab effectu desuam argumentum. Omnes morbi interni, internis curantur Remediis. Remedia vero in ventriculo soluta primò in chymum, moxquè mutantur in chylum, has si sunt passa mutationes, omnem medicaminis deposuerunt naturam, induuntque sanguinis.

Er-

M E D E N D I . 9

Ergo edere debent medicamina et
fæcum , priusquam assimilantur san-
guini & hoc sit in abdomen.

Secundo à natura morbi desumptum
argumentum & à ratione sanitatis
est.

Apud omnes quibus sanguificationis
officina bene est disposita , nur-
quam apparet morbus , sed corpus
humanum semper sano est in statu.
Ergo apud omnes ægros officina san-
guificationis depravata esse debet , &
per consequens omnis morbus nidi-
ficatur in ventre tertio-

Plura pro hac sententia pugnantia ,
Physiologia dabit Medica. Interim
tamen uni objectioni satisfaciām , quæ
opprobrant. In Apoplexia datur cau-
sa aperta obstrūctio spinæ medullaris
in nucha ; In pectoris affectibus læsus
pulmo plurimum causa esse solet teste
autopsia. Ergo morbi causa non in
abdomine sed jam in capite , modo
in pectore latet abscondita.

Verum rem si penitus inspexero ,
obstrūctio spinæ medullaris in nucha ;
læsio pulmonis & ejusmodi phæno-
mina plura , non sunt morbi ipsi , sed

A 5. sunt

10 METHODUS

sunt morbi producta & Symptomata.

Spina medullaris sponte non obstruitur sua , sed à morbo in sanguificationis officina fabricato. Pulmo quoque in se ipso non consumitur seu læditur , verum morbus quidam est affluens ex fermentorum cumulo , qui lædit & destruit.

Sicquē hic habitu morbi non sunt morbi sed Symptomata ; Neque enim pulmoni frusta agglutinare , nec trepano spinam medullarem aperire possumus. Restituto autem fermento deficiente & spinæ aperiuntur ductus & pulmonis resarcitur læsio. Parratio est in cæteris.

Sanguificationis vero nidificatur in solo abdomen , seu ut Anatomici appellant ventre tertio , ubi sanguificationis culina à DEO & Natura ministra ordinata est.

1. Sine omni dubio verum est sanguinem oriri ex cibo & potu.
2. Extra dubitationis aleam positum

ME D E N D I . II

tum est cibum & potum maximam subire in abdomine mutationem in chylum imo omnem.

3. Constanſ veritas eſt, quod Chyli metamorphoſis in ſanguinem de quo huc uſquè dubitandi cauſa deſt, contingat ex infuſione Chyli in venam cavam & frequentiori fermentatione ſeu circulatione cum corde.

In hac circulatione ſerofiores, & ſale acutiores, Chyli partes ſeparantur, magis excernuntur, ut oleofiores, & dulciores, in ſanguinem mutari poſſint; ſicuti lac, ſola agitatio-ne, exernit partes ſerofias, ut oleofiores, & dulciores ejus partes, in bu-tyrum concreſcere poſſint.

Ex his utique concludere licet.

(α) Bonus Chyli, bonus ſanguis, bonus Sanguis, bona valetudo.

(β) Culina Chyli, culina ſanguificationis. Hac bene diſpoſita bonus ſanguis, male diſpoſita, malus ſanguis, ſeu ut veteres loquuntur Gale-ni affeclæ. Vitium primæ concoctionis non corrigitur in ſecunda.

Tandem ex his omnibus colligi-mus hunc canonem: Sanitas depen-

A 6 det

12. METHODUS

det à Chylo bene præparato; Morbus autem à Chylo male præparato.

Ergo mutatio cibi & potus in Chylum prima est consideratio.

(Quanquam hoc ad partem Physiologicam pertineat, attamen cum nemo accurate satis & pro pondere rem hanc inquisiverit, hic tangam, quantum huc pertinet, cætera experimentis Physiologicis alibi demonstraturus.)

CAPUT SECUNDUM.

De Fermentis & Vasis necessariis ad Chylificationem.

Cibus primam ad Chylificationem accipit dispositionem in ore.

1. Comminutione seu masticatione dentium N.B. sed & hoc ars & industria cultris resarcire potest deficientibus dentibus.

2. Ad-

M E D E N D I . 13

2. Admixtione salivæ seu humidi, partes duriores cibi emolientis & ductus glabros reddentis. NB. Et hoc in multis resarcitur potu.

Liquidum seu humidum in corpore humano, & in omnibus viventibus est vehiculum omnium fermentorum, & medium omnis mutationis, morbique multi, occasione ejus giguntur, & fermenta saepius, occasione deficientis, vel abundantis, mutantur, ideoque imposterum merabitur peculiare caput, cum dabitur occasio, ut hæc plenius deducam.

V E N T R I C U L U S .

Cibus in ore masticatus & saliva madidus deglutiendus, est per œsophagum, & orificium ventriculi, ut ad ventriculi fundum deveniat: ubi primo paratur in Chymum.

1. Chymus dicitur (verba valent ut nummi, & hic vox chymus capi-

A 7 tur

14. METHODUS

tur juxta ut apud plures celebres modernæ Scholæ reperitur) quando cibus solutus est in ventriculo, ut flue-re posuit per Pylorum & nulla sepa-tio adhuc boni & mali facta; Ex chy-mo fit Chylus separatione excremen-torum.

2. Ad deglutiendos cibos requiri-tur Oesophagus & orificium ventri-culi aperta, Oesophagus vero, ut & orificium nonnunquam impediuntur vel obstruuntur excrecentiā quādam, quæ in omnibus ductibus ex crescere solet, & vocatur Polypus; Vel im-peditur ab assumptis constringentibus, vel ab acrimonia parietes lādente at-que exulcerante. Hæc autem cum ex sequenti Doctrina fermentorum sint de lumenda, eò usquè differo. Sal-tem dicam id quod naturaliter hic conveniat, & id est.

3. Infarcitum cibum per se non de-scendere, nisi conveniens quantitas liquidis seu humidi, quod in potu con-ficit, adfit. Ex hoc concludere licet: Major semper debet esse quantitas potus, quam cibi, & nulla conser-vatur sanitas, nisi convenienti copia humi-

MEDENDI.

15

humidi , & ex hoc porrò concludi-
tur : Siccorum ingestionem magis esse
noxiam , si est copiosior , quam hu-
midorum.

Nulla pars viscerum , ubi
fermenta sanguificationis ob-
errant , majori sensibilitate
prædita est , orificio ventricu-
li , cum verò summa acerbitas
cibos in chymum convertens ,
commoretur in ventriculo ,
necessæ semper est , ut aliorum
fermentorum halitus eam de-
mulcent . Sed hic tantum de
conversione cibi in chymum
agimus . Vicina ergo fermen-
ta demulcentia in sequentibus
observaturus , hic dico ; Ci-
bum à fermento acerbo con-
verti in Chymum .

i. Quid sit acerbum & cujusnam
sit naturæ , primo demonstrandum
est . Melius vero demonstrari nequit
acer-

16 METHODUS

acerbum simplex, quam ex experimentis ē Chymia desumtis. Sic Mercurius sublimatus est fermentum acerbum simplex, etiam simplici coctione cibos in chymum vertens, modo nimia ni fuerit quantitas Mercurii sublimati. Cum nullum aliud fermentum, quodnam etiam obtineat nomen idem præster, merito atque jure huic Chymificatio tribuitur, hac solum differentia, quod hoc acerbum simplex venenum sit, nisi exspiratione fermentorum, ventriculo proximorum, demulceatur. Deinde fermentum ventriculi acerbum, tanta dilutum est copia humidi, nec minerale refert, ut suam vehementiam tanta vi emittere queat. E vegetabilibus acerbum simplicissimum est helleborus albus, viribus & gustu mercurio sublimato proxime accedens. Nullus dubito quin eadem experimenta dabit ac mercurius sublimatus, quantum ad solutionem ciborum attinet.

2. Acerbum esse fermentum ventriculi, probat gustus; Canis etenim sectus & jejunio aliquot horarum 12.

CIS-

M E D E N D I . 17

circiter cruciatus , in ventriculo præbet spumam atquè humidum , acerbum condens in se.

3. Nullum fermentum solida redit adeo liquida , quam acerbum , quod demonstratur assumptione allegati mercurii , qui etiam solidissimas corporis partes in liquidum solvit , ut abeat per secessum & vomitum.

4. Acerbitas tantum dominari debet in ventriculo , ut Chymum conficiat & sui vestigia modo relinquere debet in intestinis , quo excrementa stimulum excretionis secum ferant debitum , major enim si existit , alia fermenta necessaria supprimit vel excernit , chymumquè in chylum mutantur furatur sanguini. Imprimis etiam orificio ventriculi requirit justam acerbi dispositionem. Orificio est pars maxime sensibilis propter nervos & vicinitatem partium nervosarum , ut sunt Mediastinum , Pleura , Diaphragma , Pericardium. Amica acerbi vellicatio & blanda titillatio vegetos per totum corpus agitat spiritus , ut vegetissimi simus , parva nos cum invadit fames ; Quando vero vel-

18 METHODUS

vellicatio illa evadit major spiritus turbantur in motu, & à nimio acerbo coagulantur, ut lassitudinem producant, ut in fame intensa. Si vero stimulus acerbi totus supprimitur, verbi gratia, quando nimia ingestione ciborum acerbum totum absorbetur à cibis, aut quando γλυκύπικρον haustum spicula acerbi infringit, tunc quoquè cessat fricatio, succedit torpor & somnolentia. Cerebrum in his actionibus, hucusquè illi falso adscriptis tantum agit ministrum ut usus & ratio ex Physiologia dabit.

Obiter saltem delineabimus sanguificationem, rudi exemplo vini & cerevisiae, quomodo scilicet, à succo crudo indigesto, & inordinato, procedat succus limpidus, suavis, & viribus plenus.

Multum recens ex uvis exceptum, liquor est turbidus, multis repletus partibus crassioribus, ad vinum comparatus, viribus longe inferior, distillationi subiectus, nihil aut parum præbet spiritus subtilis.

Cerevisia recens coctæ, quoque turbida nec sapore, nec viribus, fermenten-

M E D E N D I . 19

mentatae accedit, nec volatu facilem
præbet spiritum.

Hæc duo ponamus nobis sistere
crudam cibi solutionem in ventricu-
lo, quanquam magis evidentia, &
luce clariora, exempla sint in prom-
ptu, illa tamen ad majora servo, his
autem uti volo, ad stimulum inda-
gationis fermentorum.

C A N O N S E M I O T I C U S .

Ubi ergo appetitus, solu-
tio ciborum, excretio excre-
mentorum, fluiditas succo-
rum, & quæ alia hujus gene-
ris sunt colligenda ex præce-
dentibus, deficiunt, ibi etiam
deficit fermentum acerbum
vel est corruptum. Ut.

1. *In Anorexia.*
2. *Febribus.*
3. *Melancholia hypochondriaca.*
4. *Passione Colica, quæ alvum obstru-
etam habet adjunctionem.*

5. *Fitt.*

20 METHODUS

5. *Eurore uterino cum alvo durat.*

6. *Mania.*

7. *Lethargo.*

8. *Comate.*

Canon Semioticus urevadat clarior
exemplis illustrandus erit. Sic ver-
bi gratia.

(1.) *Anorexia*, hic collocata solum
intelligenda est, quæ plura signa de-
ficientis fetimenti ventriculi habet con-
juncta. Ut.

1. *Alvum duriorem.*

2. *Torporem alvi, quæ stimulum non
senit excretionis.*

3. *Siccitatem tam excrementorum, quam
oris cum amaritie.*

Hæc ubi adsunt signa, ibi anorexia
à defectu acerbi. Alia etiam est ano-
rexia diversa ab hæc, sed hæc sub'bi-
le recensenda.

(2.) *Omnis Febris habet signa co-
mitantia.*

1. *Appetitum postratum seu naufragium.*

2. *Alvum duriorem vel omnino obstru-
ctam.*

3. *Excrements non modo duriora esse
solent. Sed etiam siccitas oris ma-
xima, cum sapore amaro.*

Hæc

ME D E N D I .

21

Hæc ubi signa adsunt febres sunt
essentiales, ut.

Febres intermittentes.

Synochus.

Causus.

Petechiales nonnullæ.

Febres morbillorum & Variolarum ra-
rius &c.

Hæc præbent signa tempore Paro-

xismi, unde verè in his deest acerbum.

Cæteræ Febres his quæ carent si-
gnis sunt symptomaticæ, nec eis ob-
viam eundum est, sed morbus prin-
cipalis cognosci debet.

Phrenitis est Symptoma febrium,
nunquam sola est.

(3.) Huc relata Melancholia hypo-
chondriaca, (cæteras ejus species ali-
bi indigit.)

Signa fert,

1. Homo est cibi parcioris texturæ te-
nuioris & sine appetitu.

2. Alvis durior ob collectionem fla-
tuor tendit Hypochondria.

3. Torpore artuum & totius corporis
vexatur quasi somnolentus.

Cæteræ passiones hypochondriacæ
videantur sub fermentis compositis

4. Co-

22 METHODUS

(4.) Colica passio, qua de hic sermo est, comites habet.

1. Nauseam

2. Alvum obstruetam.

3. Nonnunquam, non semper etiam,
vomitus biliosos.

(5.) Furor uterinus idem ferme est
cum præcedenti Colica eademque
dat signa. Loco vero debito alios
uteri furores enumerabo.

(6.) In Maria est alvus obstructa,
vel excrementa duriora, & nimia sensi-
bilis circa præcordia, vel orificio
stomachi, ab acredine amaritiei pro-
veniens, quæ nimia sensibilitas sensu-
sus somnumque turbat. Aperta signa
deficientis acerbi sunt.

(7.) Lethargus haud aliter quam
summa ebrietas generoso potu facta
considerandus est.

Est in Lethargo.

1. Stertor ab amaro dulci bilis, blan-
dam vellicationem orificii impe-
diente.

2. Ardor febrilis.

3. Excretio alvi cessans.

Et sicuti diarrhoea, ardori & torpori
ex crapula superveniens, facile ebrio
vires

M E D E N D I . 23

vires reddit ita & diarrhoea Lethargis
ad salutem est. Manifesto exemplo
defectus acerbi.

(8.) Seu vigil seu somnolentum
Coma , ambo eandem agnoscent cau-
sam , somnolentum coma , vigili gra-
vius est , in ambobus æger consideran-
dus est sicuti homo nimio qui usus est
opio , nam in utrisque.

1. *Deficit appetitus.*
2. *Anus non fungitur suo munere.*
3. *Omnia membra languent.*

Quæ omnia documento sunt defi-
cientis acerbi , inedia enim & famæ
somnum profligant , ob nimiam sensi-
bilitatem.

C A P U T T E R T I U M .

Bilis.

Chymus pylorum transiens
primo subjicitur fermento
bilis & Lymphæ hepaticæ seu
fermento hepatis.

He-

24 METHODUS

Hepatis fermentum simul quidem admisceretur cum bile, verum cum bilis primas obtineat, bilem prius considerabimus.

Bilis amara est cum adjuncta resinositate & acredine; Commixta Chymo, separatorem principem agit puri ab impuro; Agit balsamum à putredine conservantem corpus, demulcet stimulum acerbum & falsum & hujus generis plura agit, quæ ex experimentis petenda.

(a) Bilis fermentum, ut modo dictum, non est simplex, sed ex amaro, acri, & resinoso compositum. Bilis vero sola coctione insipissata amittit acredinem, restante amaritie. Acria vegetabilia etiam acredinem perdunt, & mutantur in amara sola leni adustione.

Bilis officia hic descripta vel mechanice demonstrari possunt, Solutio cibi
ab

MEDENDI. 25

ab acerbis proficiscitur, quæ acido originem debent, his si jungitur amara bilis, necessaria præcipitatio, & separatio sequitur.

Clarior res evadit, si lacti recenti commiscetur bilis debita quantitate, vel horæ spatio ad superiora adscendet oleaginitas, in medio hærebit aqua citrina, & ad fundum præcipitatæ cedunt fæces.

Amaritiem bilis verò putredinem arceret, vel quævis nos docere potest anus, amarities est in resinositate, & conservationis exempla per hæc quotidianus dat usus.

(β) Bilis inspissata amara & resinosa est, quibus testatur oleaginitatem sibi in esse.

Acredo bilis injicit corpori humano ardorem, æmulum febris, dat irritationem & vellicationem partium sensibilium, ut & erosionem cum inflammatione.

Bilis hic dicitur separator Princeps, causa latet in ipsa fermentatione Cap. 1. dictum est, fermentationem ad subtilisationem nullam fieri posse nisi oleum adsit, in vino latere oleum, nemo

B nega-

26 METHODUS

negabit, quod occursu suo Spriritum
subtilem à terræ vinculis liberat, inde
motus, inde fermentatio. inde separa-
ratio, cum nimium crassior moles à
motore suo liberata, premitur in fun-
dum, motor verò liberatus à majori
mole citatori cursu ad altiora tendit

Cerevisiæ fermentum amarum &
spirituosum addi solet, inde motus,
fermentatio, & turbulentiæ separatio.

CANON SEMIOTICUS.

Ubiunque separatio deest
excrementorum, ubi excre-
menta urgentia sunt & ob a-
cutiem stimulantia, ubi deest
Balsamus à putredine conser-
vans, & per consequens adeat
suppuratio vel putredo, &c.
ibi deficit vel est suppressa bi-
lis.

Ut in Nausea vel anorexia.

(Nausea vel Anorexia, hic locata, à
priori, Ventriculi plane differt, hæc
hæ-

MEDENDI. 27

habet adjunctam 1. alvum laxiorem,
2. ructus nidirosos. 3. dolorem, non-
nunquam prementem præcordia. Hæc
de defectu testantur bilis.)

Diarrhœa.

Dysenteria.

Scorbuto & ejus speciebus ut :

Petechiis.

Variolis.

Morbillis.

Lue Venerea.

Scabie.

Lienteria.

Cæliaca.

Epilepsia (amaro acre deficit.)

Passione Colica cum Vomitu vel alvo
laxa.

Afitia.

Appetitu canino.

Ptyalismo.

Ex NB. (a) colligimus ac redinem
bilis consistere in fluiditate, ubi ergo
fluo bilis deest, & per consequens ad-
venit lento, ibi deficit acre.

Acre in multis parem effectum edit
acido, quanquam sint diversissima.

Distinguuntur tamen quod acre mo-
veat cum ardore, & calore quasi febri-

B 2 li,

28 METHODUS

li. Acidum vero movet cum horrore,
rigore, & frigore. Deficit ergo fo-
lum acre.

In Iittero.

Hydrope hydrocephalo.

Tussi.

Angina cum tumore.

Apoplexia.

Catharro, & ejus specie, ut Coryza.

Convulsionibus.

Hæmorrhoidibus cæcis.

Intestinorum inflammatione.

Coagulatione lattis.

CAPUT QUARTUM.

Hepar.

Hepar, & lympha hepatica,
in qua hepatis fermentum
delitescit, ipso gustu sunt au-
stera, seu ut alii vocant, adstrin-
gentia terrea, sine omni acu-
tie, connexionem particula-
rum liquidarum in corpore
humano ope caloris promo-
vent

M E D E N D I . 29

vent , ^{sæpius} sanguini debitantur
inducendo.

Hepar sine omni est acutie , & lympha ejusdem similis est naturæ , quod gustu probatur . Hepar debitam ^{sæpius}
& sanguini caloris seu motus ope inducere , patescit , quod hepar coctione indurescat , & quod lympha hepatica , ex vasibus excepta congelescit , quam primum calorem sentire incipit , sed ejusmodi experimenta ope figurarum trutinâ Mathematicâ examinata , reservantur ad Physiologiam .

C A N O N S E M I O T I C U S .

Ubicunque ergo particularum liquidarum ^{sæpius} deficit &c. ibi deficit , vel est suppressum fermentum hepaticum .

Ut : In sudore colliquativo .

Febris Hætica .

Tussi liquida .

Fluore hepatico , qui etiam dicitur diarrhœa Hæticorum .

Mensem fluxu nimio .

B 3

C A -

30 METHODUS
CAPUT QUINTUM.

Pancreas.

Pancreas ex ductu suo acidum fundit succum, qui glutinosum reddit fluidum &c.

Succum Pancreaticum acidum spirare fermentum, minime dubitandum est. Ex vivis bestiis receptus id sapore probat, & lacti admixtus acidi ingenium refert.

Acida verò viscosa seu glutinosa fundere, monstrat autopsia.

Omne acidum generatur ex iis ex quibus compositum.

Vinum facile acepsit cum aqua, quæ illi inest, sic partes crassiores in liquido suspensæ ope oleosi implicantur, agglutinantur spiritui, & inde acescunt, & sic multis deficiente debita quantitate liquidi in corpore humano gignitur acidum. Vel acepsit etiam vinum cum novo motu spiritus impingitur particulis crassioribus. Quæ de vino, quoque de cerevisia.

CA-

MEDENDI. 31

CANON SEMIOTICUS.

Ubicunque ergo lento est
succorum seu stagnatio cum
ardore & quasi febrili impetu,
& ejus fluor debitus deest &c.
ibi deficit fermentum pancre-
aticum.

Ut in Vomica Pulmonis.

Pleuritide.

Syncope quadam.

Palpitatione cordis nonnulla.

Pica.

Dyspnea.

CAPUT SEXTUM.

*Glandulæ Lymphaticæ
& Renes.*

Glandulæ Lymphaticæ &
Renes falsedine sua secre-
tionem Lymphæ, Urinæ, &
solutionem partium terrea-

B 4 rum

32 METHODUS
rum , ut etiam subtiliores du-
ctus transire possint , promo-
uent.

Renum & Glandularum cæterarum fermenta esse salsa seu salina , naturam salis communis imitantia , haud magna probatione indiget . Omnis sudor falsus est , quis est qui hoc ignorat ? Omnis vero sudor excernitur per fermentum glandularum , & integra nostra cutis est mera glandulosa , ut Microscopia monstrant .

Renum excretiones esse salsas , qui negat , hauriat bonum haustum urinæ & veritatem percipiet .

Vinum abit quoque in corruptionem , quam vocant vappam , cum nimirum sal privatur suo spiritu & agitatione ; spiritu exhalato , oleosa cum aqua non miscentur , unde turbulenta , terreæ partes in altum non pelluntur , unde concresentia , totum vinum privatur viribus suis , sal deficit ei , & volatile , & quicquid præterea inest , cum sapidiores partes , partim abeant , partim concrestant .

Urina est sal nondum intime con-
jun-

ME DENDI. 33

junctum per minutissima; amarities
quæ urinæ in est, à fermento bilis se-
paratore principe, venit.

CANON SEMIOTICUS.

Ubicunque igitur obstru-
untur ductus Lymphatici, &
terreæ partes concrescunt, ibi
deficit salredo.

Ut in Calculo.

Sudore obstruto.

Nephritide.

Erysipelate incipiente, & nondum
suppurante.

Auditu debili,

Diabete sine sensu, & stimulo.

Defectu Lochiorum.

*Quando amarities urinæ deest, ex-
ulcerantur partes urinariæ.*

*(Quanquam hic canon rectius ad
bilis pertineat titulum huc tamen ut
specialem refero.)*

Ut Dysuria.

Ischuria.

*Stranguria cum fabulo, à defectu sal-
fedinis.*

Diabete cum sensu, & stimulo.

B 5

CA-

34 METHODUS
CAPUT SEPTIMUM.

Lien.

Lienis fermentum , unum
est , cum Ventriculi , ergo
ibi quærendum.

Lienis fermentum imprimit
ventriculo cmmunicat solutionis virtutem ,
ut cibi in Chymum mutentur , solum
autem lienis fermentum in ventriculo
non commoratur , sed socia habet fer-
mentorum , tam demulcentium quam
solutionem promoventium effluvia .

Optime autem de Lienis fermento
judicare licet solo gustu , quo acerbi-
zatem suam prodit , hancque etiam
servat ex parte , quando coctus est .

CAPUT OCTAVUM.

Gluten Intestinorum.

Intestina glutine quodam te-
guuntur , ut excrementa feli-
cius :

M E D E N D I . 35
cius descendere possint , & ut
prohibeatur nimia sensibilitas.

Gluten intestinorum , & glabrities ,
qua illa teguntur , ut excrements faci-
lius ad exitum dehiscere possint &
excerni . Intestina sunt partes mem-
branosa , seu nervosa , & inde maxi-
mè sensibiles unde gluten iila tuetur
contra acredinem , & duritatem excre-
mentorum , quæ alijs dolores darent
intolerabiles .

C A N O N S E M I O T I C U S .

Nimius sensus intestinorum
& durior alvus ab excretione ,
testantur de defectu glutinis .

Ut *Tenesmus* .

Tabes , sed hæc ad fermenta compo-
ta pertinet .

Ileus .

B 6

C A

36. METHODUS

CAPUT NONUM.

His brevissimis comprehensa doctrina fermentorum solida ponit fundamenta tam Pathologiæ quam semiotices, ut & basis est totius methodi. Haud pauciora esse in corpore humano fermenta, nemo qui sana mente actiones naturales inspexerit, & indagaverit, negabit; An vero plura his prædictis dentur fermenta, quæstione opus esset; Sed huic quæstioni paucis satisfaciām. Satis est qui primus ex cineribus resuscitavi Ægyptiorum Methodum, ut Canones mei monstrant, haud minorem fermentorum numerum esse posse.

Primum est quod offendet, hic deesse fermentum oleosum & Dulce, sed huic satisfaciet vel solus titulus scripti, qui est methodus medendi morbos, morbi autem proveniunt à defectu fermenti cuiusdam, quod Chy-

ME DENDI. 37

Chylificationi inservit. Dulce vero & oleosum chylo insunt, & sunt fermentorum producta, quæ sanguinem & nutritionem dant corpori. Ergo de Dulci nihil dicendum amplius, quod ad Chylificationis officinam pertinet, quam id, quod Regula sanationis quinta loquitur; De oleoso vero nec hic etiam plura restant, nec plus ancillatur chyli præparationi, quam dictum est sub fermento bilis.

Secundum, contra quod plures obvertent cornua, est fermentorum numerus, quem æctioribus finibus scriptum putabunt.

Sed ab hâc objectione caveant. Constitutus numerus sane sœnum in cornu habet. De numero fermentorum simplicium & infra ad materiam Medicam designato mihi verba sunt, hic est quem plenum & omni numero absolutum judico. Si vero quid addi potest, quemlibet rogatō volo, ut in emolumentum boni publici, publicè id exponat luci; Non sum perfictæ frontis nec durioris cervicis, omnem quam meritus est laudem ex grato animo, non levibus rivulis sed fluviorum in

38. METHODUS

modum non derivabo, sed effundam,
& hunc meum magnum Apollinem,
sincero venerabor pectore, Limites
fermentorum compositorum in re ve-
getabili constituere certas nondum
possum. Interim illæ regiones, in
quas ego divisi, totam fermè provin-
ciam rei medicæ exhaustient, si non
planè. Grates autem debo maximas
illi qui feliciori ingenio, & ductu na-
turæ, ampliores his addiderit campos,
Quilibet studiosus rerum naturalium,
avaro qui bibit pectore veritatem præ-
cedentem, in pluribus gustabit mor-
bis fermentum compositum, non fa-
cile ex simplici percipiendum, ut ita-
que ejus palato exponamus ea, qui-
bus adhuc inhiat, nunc etiam dabi-
mus parva, sed ut spero, grata fer-
cula; nimirum fermenta composita
plura, quæ deficiunt; & ut contra-
ria juxta se posita magis eluceant,
fermenta abundantia condimenti loco
adjungemus, quæ cætera extingunt.

In morbo duo semper concurrunt,
juxta ut ex præcedentibus palam est,
nimirum fermentum, quod abundat,
& id quod deficit, hæc duo semper
ne-

MEDENDI. 39

necessè est, cognoscantur. Deficiens fermentum unius visceris ex præcedentibus agnoscitur, duorum vel tritum viscerum officium læsum hic exponam.

CAPUT DECIMUM.

De plurium Viscerum fermentis deficientibus cognoscendis.

Officium & munus cuiuslibet visceris ex descrip-
tione præcedenti, probè co-
gnita esse debent. Primò
quidem ex natura fermenti
nobis illa se fstant decet,
quam quò accuratius novi-
mus, & experimentis Chy-
micis tentavimus, eò certiores
de illa esse possumus.

Secundò produnt illi Ca-
nones

40 METHODUS

nones Semiotici qui omni du-
bio carentes , digito mon-
strant , dicentes : Hic est . A
Canonibus hisce ne latum
quidem unguem recedere
oportet . Hisce canonibus
præscriptis nil posse adimi ,
certus sum , & quilibet sana
mente prædictus necesitatem
consequentia judicans ; affir-
mabit . Multa vero Semioti-
cis characteribus posse addi
& deberi , confiteor ; Sed hæc
servo jucundiori literarum
mearum otio & aliorum quo-
que studio .

Hujus inquisitionis initium capiemus
à Phthisi .

Imò Phthisis adjuncta habet .

1. Alvum lubricam .
2. Aliqualem appetitum .
3. Titillationem seu arrofionem pul-
monum tuſſim irritantem .

A. A.

MEDENDI. 41

4. Ardorem febrilem.

5. Sudorem plurimum colliquantem.

Signa bina priora testantur de defec-
tu amaritiei & resinositatis, uti etiam
tertium signum aliquo modo eo refer-
ri potest. Verum quartum signum cui
etiam tertium & quintum adstipulatur
testimonio est glutinis consumti & de-
ficientis.

II. Simili ratione quoque.

Arthritis.

Gonagra.

Podagra.

Chiragra.

Dolor Ischiadicus

Plusquam simplicem fermenti defe-
ctum indicant. Ratio aperta ex signis
adjunctis. Omnes enim incipiunt.

1. Obstructione alvi per aliquot dies.

2. Appetitu postrato.

3. Ardo quiete quasi febrilis.

4. Dolor insequitur vel corporis totius
vel partis sine sudore & fætore.

5. Tumor verd incipit decedente ardo-
re circa articulos.

6. Et tandem omnibus his evanescen-
tibus tuberculus callosus restat in doloris
loco, signum doloris, qui adfuit,
atque

42 METHODUS

*atque soboles, mox plures sui generis
genitura.*

Priora testimonia infallibia esse fermenti acerbi deficientis vel non sufficientis ex præcedentibus cuilibet patescet. Quod verò etiam præter acerbum, aliud fermentum deficiat, posteriora probant testimonia. Deficiens in Arthriticis Sudor & coagulatio tuberculi callosi, validissime dicunt salsum simul deficere cum humidate, alias enim salia sudorem darent & calsum una cum sudore vel urina foras propellerent.

CAPUT UNDECIMUM.

Quanquam præcedentia per se evidenter monstrant fundamentum, quoniam tamen clariora evadent, si quoque probantur per contraria. In præcedentibus dictum est de fermento deficiente & corrupto,

pto, nunc quoquè videbimus fermentum corrumpens vel abundans. Longiori equidem opus esset sermone circa hæc, verùm cum jam tantum rudimenta ponantur ædificiū nostri medici, paucissimis quoque uno atque altero tantum exemplo id explicabimus, uberiorem deductiōnem daturi, si DEus majora otia concesserit.

De Ventriculo incipiēmus. Sub Canone Semiotico, tituli Ventriculi enumerantur morbi.

Ut I. Anorexia.

Adjuncta signa

1. *Alvus durior.*
 2. *Siccitas & amarities oris.*
- Probant aperte abundantiam bilis,
ex titulo bilis ut patet. Bilis ergo est in
hu-

44 METHODUS
hujus anorexiæ specie fermentum cor-
rumpens acerbitatem ventriculi.

II. Febres.

Febrium signa.

Ut 1. *Ardor.*

2. *Obstru^tio alvi.*

3. *Amarities oris.*

Simili modo probant per illa, quæ
sub titulo Bilis adducuntur, quod
Bilis cum acreidine in febribus sit fer-
mentum abundans vel corrumpens
acerbitatem.

III. Melancholia hypo-
chondriaca.

Signa ejus.

Ut 1. *Alvus durior.*

Oleaginitatem abundantem bilis
aliquo modo probat, cætera verò si-
gna.

2. *Dolor in hypochondriis.*

3. *Sudor frequentior.*

4. *Angustia præcordiorum.*

5. *Cibus parcior.*

6. *Liquidi appetitus solito in-
frequentior.*

Apertè dicunt acidum hic esse fer-
mentum corrumpens acerbitatem.

Ex

MEDENDI. 45.

Ex quibus constat unum fermentum à pluribus posse corrumpi, interim tamen restitutio fermenti semper eadem est, Sic.

In Anorexia.

Febr.

Est fermentum abundans & acerbitatem corrumpens Bilis, in Melancholia hypochondriaca verò acerbitatem corruptit acidum.

Eadem etiam ratio est in cæteris fermentis v. g. in tit. Bilis ponitur Dysenteria à defectu bilis.

Signa verò Dysenteriae.

Ut 1. Excrementa urgentia.

2. Excrementa liquidiora.

3. Succi fluidiores.

Firmiter monstrant acerbum esse fermentum illud, quod in Dysenteria bilem corruptit & vim ejus sup-

pri-

46 METHODUS

primit. Nam ex titulo de Ventriculo integrum est, quod hæc signa ab acerbo producantur.

Sub eobem tit. Bilis recensentur

Scorbutus,

Scabies,

Signa eorum 1. Pruritus partium.

2. Sudor salior.

3. Exulcerationes cutis.

Manifesta sunt argumenta fermenti falsi corruptentis Bilem.

Ex dictis innotescit bilem non solum ab acerbo sed etiam à falso & aliis fermentis posse corrumpi.

Hæc omnia sine contradictione ponunt, Regulam Medicorum universalē, Contraria contrariis sanari esse turpe mendacium, Hippocrates ne verbum quidem contrariorum habet, dicit in aphorismis, impletioni mederi evacuationem, evacuationi vero impletionem, & tandem concludit, φαίνεται ὅπερι τινως, videtur subcontrariatio, incertus de illa, alio plane sensu ac hodie capitur, & Galenus introduxit. Imo, si attentius rem consideramus, nulla dantur contraria. Aut enim affirmandum est, amaro contraria es-

se

MEDENDI. 47

se fermenta glutinosa, salsa, acerba,
acida &c. Item, falso centraria esse,
amara, dulcia, acerba, & quæcun-
que dari possunt fermenta, quod ab-
surdum est.

Contraria in medicina non sunt ad-
mittenda, diversa & differentia inter
se fermenta concedimus, sed quo sen-
su contraria dicere possumus me la-
tet.

Cognitio verò fermenti abundantis,
quantum ad sanationem conferat, Me-
thodus dabit chymica. Hic sufficiat
indigitasse solum modum, quomodo
certe & sine fallacia ad eorum notitiam
pervenire possumus.

CAP. DUODECIMUM.

Regula Sanationis Univer- salis Prima.

Quocunque fermentum
deficit, illud restituendū
est, & sequitur sanitas.

Sic

48 METHODUS

Sic amara restituunt bilem, austera reddunt hepatis fermentum, acerba dant ventriculo & Lieni, & sic de cæteris.

Bene inquirere decet & juxta Canonos Semioticos judicandum est, quod deficiat fermentum, nec hic impingendum. Sunt enim fermenta quædam plane distincta & tamen primo intuitu videntur, videntur inquam seu apparent eundem edere effectum, cum tamen revera non sit v. g. Acidum & Acre disjunctissima in commovendo motu hrerum glutinosarum vel viscosarum unum esse videntur. Verum re ipsa non sunt. Cognoscuntur & distingvuntur, quod acre liquores fundat cum ardore & quasi febriculâ quadam ; Acidum vero eos cum horrore & rigore liquat.

Hæc Regula prima sicut perse firmo stat talo, sic etiam autoritate Veterum ntititur.

Hippocrates Medicorum antesignanus in libro περὶ φύσης dicit Medicina est dificientium additio, quod autem per deficientia fermenta, nostra intellexerit, patet ex libro περὶ παλαιᾶς ia-

766.

MEDENDI. 49

τρεποντας. Sed inest in corpore humano, & falsum, & amarum, & dulce, & acre, & acerbum, & austерum &c. Ab his oriuntur morbi; an melius & clarius hujus doctrinæ documentum antiquitatis desiderari potest? verum cum non autoritati, sed demonstratio- ni incumbam, hæc tetigisse sufficit.

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

Secunda Regula.

Semper persequendus est morbus, neglectis symptomatis, si vero symptomata urgent, etiam his obviam eundum est, & non nunquam his solis ad breve spatium, neglecto morbo: Post vero sanatio morbo soli objicitur iterum.

Urgere dicitur Symptoma, quando
C mor-

50 METHODUS

mortem , vel aliud Symptoma periculi plenum minatur.

Hanc ut bene persequatur regulam Medicus , illum decet accuratè distinguere , quid sit symptoma , quid sit morbus : Sic verbi gratia in Pleuritide ardor febrilis est Symptoma ergo negligendus , & hostis Lethalis , morbus persequendus , & sic in cætris.

Quando vero Symptoma ipso morbo gravius minatur , morbus est negligendus , & primum symptomati occurrendum . Sic verbi gratia in febri , quando æger sensum amittit in pede , vel manu vel ibi torporem sentit , vel vellificationes percipit , ubique etiam locorum illæ sint , hic Symptomatis statim occurrendum est , etiam neglecto morbo . Nam hæc Symptomata minantur convulsiones , convulsiones vero febri decubentem citò necant . Depulsis Symptomatis febris sanatio iterum instituitur , & sic quoque ratio aliorum est morborum v. g. in febribus petechialibus .

Discernendum an febris sit
mor-

M E D E N D I . 51
morbus essentialis ? an vero
Symptoma.

Multum enim hic differt
methodus medendi.

I. Cum febris est morbus essentialis.

1. Habet Petechias rubras, quæ ultimò in lividum colorem mutantur, & sine exulceratione evanescunt.

2. Alvus est obstructa. Nunquam enim diarrhoea cum febri essentiali subsistit.

3. Urina est rubicunda & diaphana sine sedimento, saltem in principio morbi, post cujus *αρμηνη* turbida evadit cum sedimento ferè lateritio.

In hac febri est abundantia bilis, & defectus acerbi, quod semper est in omni febri essentiali, curatur per acerba, hæc enim fermentum ventriculi (quod acerbum est) restaurant, alvumque blande usque ad Diarrhoeam (qua superveniente febris solvitur) laxant, unde patet error eorum, qui opiatis hanc febrim aggrediuntur.

II. Cum febris est Symptoma.

1. In cœte æque ac cum morbus es-

C 2 sen-

52 M E T H O D U S

fentialis est, petechiae rubræ protuberant, quæ cum cœruleum colorem naturæ sunt, instar ulcerum disrumpuntur & evanescunt.

2. Alvum satis laxam, imo & Diarrhœam junctam habet ex nimia falsedini copia.

3. Urina est citrina turbida, in colorem violaceum vergens, cum multo, sed non crasso sedimento, ut plurimum albo & purulento, raro ad albedinem inclinante.

